

sanguinis excrementum, negotium facessat, & tenuitate suâ acredineque molestet, Cinnabaris nativa opem fert egregiam, cum causæ radicalis respectu, tum producti posterioris intuitu. Si enim ad grana decem cum pulveribus & speciebus aliis cephalicis detur, caput, cerebrum, totumque nervosum genus roborat admiraculum usque, catarrhos prohibet, eosque ita ad πεπασμὸν deducit, ut sine noxa & periculo excerni facile queant.

CAPUT XXXII.

Cinnabaris Mineralis correctæ usum in affectibus medii ventris, pectoris scilicet respicit.

Solatii multum in affectibus his adfert Cinnabaris mineralis ob þur suum suave, temperatum atque anodynum. Lipothymia, syncopes & palpitationis cordis causa est sanguinis grumescentia; huic debetur Cinnabaris nativa; illa siquidem sanguinis partes crassiores resolvit, tenuiores alterat & dissipat, aciores verò temperat ac corrigit. Hinc in talib[us] modi affectibus & symptomatibus, hypochondriacis familiaribus, lipothymia scilicet, syncope & cordis palpitatione, cessantibus etiam in prioribus omnibus operationibus animalibus & vitalibus ad sensum, nil præsentius invenitur & consultius, quam Cinnabaris nativa, ut simul resolvens & præcipitans, si cum aliis resolventibus & præcipitantibus in pulverem hoc modo redigatur. Rx. Cinnab. nativ. ḡnii diaphor. Corall. rubr. præp. Conch. præp. Ocul. ḡ. præp. ana ðß. Vitriol. ḡtis gr. vj. Laudan. opiat. gr. j. Misc. fiat pulvis, dividendus

dus in 6. partes æquales. Dari potest pro circumstantiarum urgentia singulis horis cum aquis meliss. cinamom. aliisque spirituosis , vel tantum cum vehiculis domesticis, cerevisia vel vino. Addi etiam nonnunquam possunt pro ditioribus , si cui id libeat, perlæ præparatæ , lapis bezoar, unicornu verum, oleum still. cinamomi, caryophyllorum, &c. Effectus hujus pulveris certè sunt insignes; conquiescunt indè citò omnia symptomata; sanguis feliciter tono suo restituitur; & symptomata hysterica etiam huic ipsi morem gerunt, subsequuto sæpius vomitu, vel alvi fluxu cum maximo juvamine, cum ejusmodi resolventia facile alvum & vomitum cieant. Præferendus igitur eo nomine multis aliis medicamentis cordialibus videtur.

In febribus scorbuticis, & aliis, seroforum humorum colluvie ortis, universalibus præmissis materia fatis præparatâ & depletâ, ad modum eminent Cinnabaris nativa; hæc enim non tantum ipsam febrium causam respicit, humores peccantes corrugando sudoremque movendo, sed reliquias etiam earundem, ejusmodi rebelles & sæviores insultus efficientes, fortiter cohibet feliciterque tandem expellit. Atque hoc magis fit, si serum nimis abundet, & cum nimia sanguinis ebullitione, maximè verò cum virium resolutione, dolore & vomitu conjungatur febris, tunc sæpè nullo alio proficiente, Cinnabaris hæc nativa hostem superat indomitum. Pulverem ergò hunc antifebrilem ante paroxysmum justo tempore adhibemus. Rx. Cinnab. mineral. splendent. gr. viij. Nitri ⊕ lati, ♂nii diaphor. Ocul. ⊖ præp. Corall. rubr. præp. Θ l. centaur. min. card. bened. ana gr. vj. Misc. fiat pulvis, exhibendus cum Aq. card. bened. vel centaur. min.

3ij.

O 4

In-

In tertianis plerumque post catharticum, præfertim emeticam, simplicissimum concharum pulverem solitarium, aut cum nativa Cinnabari, vel pulvere anodynō mistum satisfacere asserit Dn. D. Dan. Ludovici *Pharmac. dissert. I. pag. 286.* Exemplum ejusmodi medicationis habet Vir hic celeberrimus in *Anno 3. Ephemerid. Curios. Germanic. obs. 254.* Cinnabari nativā tertianas in plurimis persanavit *Christoph. Henpergerus*, Medicus *Augustanus* apud *Georg. Hier. Velschium in Mielomimem.* pag. 10. Quibus subjicit *Velschius*: Id non tam propter diaphoresin eligebat, quām illam ob causam, quam ediximus in *Notis ad obs. 118. H. Reusneri*; quām tamen ibi non legimus. Eam autem satis expresserunt *Thom. Willis Lib. de febrib. cap. 6. & Martinus Kergerus Lib. Physico-Medic. de Fermentat. sect. 3. cap. 3.*

Videtur etiam Θ I rubrum antifebrile, quod maximē laudat *Frid. Hoffmannus in prefat. meth. med. recipere Cinnabarī nativam.* Hoc Θ I antifebrile album & rubrum, ut ipse fatetur, nulli cedit in paroxysmo febrili abigendo, dum fermentum febrile in primo quasi flore extinguit, figendo ac præcipitando, & postmodum per sudorem ac urinam everrendo, horā unā vel circiter ante paroxysmū exhibitūn, pro ratione ætatis & subjecti à gr. iv. ad ⑧. vel ⑨. in liquore convenienti. Rarò bis vel ter sumitur. In febribus siquidem, qualescunque fuerint, rectè ab initio Θ Iia antifebrilia, bezoardicum *Ale*, *Olare*, aut *Ottiale*, item tinctura bezoardica exhiberi possunt, & pro confortatione offerri magisterium perlarum, eboris, liquor perlarum, corallorum.

Salia hæc antifebrilia nihil aliud esse credimus

quām

quam otrum ⊕ latum *Mynsichti*, vel etiam otrum
Gniatum cum ⊕ lo ♂ tis aliquatum, filtratum & ad
e lis consistentiam benè evaporatum, postea Cinnabari
nativâ sufficienter tinctum. Hoc otrum
Gniatum potest etiam cum ⊕ lo ♂ tis sine deliquo
miseri, & deinde Cinnabari nativâ tingi.

In febribus continuis, in primis malignis, admodum etiam valet hæc Cinnabaris nativa, præfertim, si vigiliae, delirium convulsioneisque jam immincent. Hæc enim sudorem movet, humorum acrimoniam, ebullitionem & fermentationem p. n. demulcet atque temperat, cor & spiritus contra malignitatis atomos & $\alpha\pi\sigma\phi\alpha\zeta$ munit, somnum promovet, delirium arcet, convulsioneisque abigit. Vires autem suas magis exserit, si cum Diaſcordio *Fracastorii*, & pulveribus bezoarticis misceatur & exhibetur, ut hoc modo sudor, crebrâ corporis iectigatione prohibitus, commode excitetur, naturaque vigiliis debilitata & morbo, robur acquirat valentius, atque ita simul delirium præcaveatur.

Alexipharmacum quoque Cinnabaris mineralis est, convenitque ob ♀ur suum temperatum & e I
♀riale tum venenis in genere ab extra propinatis,
vel per errorem haustis & communicatis, cormuniendo, & sanguinis ac seri tonum illibatum conservando, tum in peste, febribus malignis & pestilentialibus, *Hungaricis*, petechialibus, febribus puerperarū, variolis & morbillis, ac similibus contagiosis & mali moris affectibus, quatenus etiam vel serum ejusque motum promovere, & coagulationem impedire, vel illud fluxile reddere valet. Unde regulæ instar notamus: In febribus malignis, uibicunque serum quasi coagulatum est, & sudor

O 5 hinc

hinc nullus obtineri potest: sed omnia quasi iuruntur Cinnabrina, (ut Cinnabarina nativam & factitiam Īniale,) aliis prudenter maritata bezoardicis, ejus fluxilitatem maximè promovere. Verùm si ad resolutionem & ichorescentiam planè sanguis inclinet, omnino devitanda esse, neque in ipsis tunc subsequentibus motibus convulsivis omnino tuta esse vel fida. Ex quo ipso etiam eximia horum agendi virtutis emergit differentia.

In his etiam affectibus, si delirii, convulsionum advertantur indicia: si vigiliæ vel dolores adsint, optimo consilio pulverem bezoarticum *Sennerti*, vel etiam cordiale *Dorncreilii* cum Cinnabari minerali selectissima saturatissimaque, vel Īniū cum paucis granis Mag. anodynī *Rofincii* miscemus, ægrisq; cum aqua quadam appropriata præbemus. Sic serum malignum redditur multū ad expellendum aptius, variaque symptomata perniciosa præcaventur.

Non in epilepsia solūm, doloribus capitis, articulorum seu pleuriticis etiam, adeoque omnibus totius corporis convenit Cinnabaris nativa, quatenus humores serosos ac acres invertit, & eorum acrimoniā quā nervi & membranæ irritantur, tenduntur & vellicantur absorbet; undē Cinnabaris non cephalicum tantūm est, & capitis membranas ac nervos respicit, sed reliquarum etiam partium corporis.

In doloribus ergo pleuriticis admodum convenire Cinnabarina nativam, cum excell. Wedelio lib. 1. sect. 3. cap. 1. & lib. 2. sect. 2. cap. 10. de medicam. facult. experti sumus. Præmissis enim venæ sectione atque bezoardicis volatilibus, multos nuper in pleuritide epidemia ex sero scorbutico doloribus acutissimis

hoc

hoc pulvere tandem liberavimus : Re. Pulv. anti-pleuritic. Aug. gr. X. Rasur. dent. apri, Mandib. luc. pifc. c. c. spagyric. præp. ḡnii diaphor. Cinnabar. nativ. ana gr.. v. Misc. fiat pulvis, exhibendus cum aq. papav. rh. card. bened. mar. & Sir. papav. rh. ana ȝȝ.

Quām promptē hoc pulvere morbus auscultet Medico, dici non potest. Expectoratio hinc melior succedit, vires confortantur, ac ipse morbus longè feliciū ad finem decurrit ; atque hoc pacto, səpissimē, absque venae sectione quoque pleuriticos restituimus. Et hic pulvis admirandos effectus præstat non modò in vera pleuritide, sed etiam in aliis pectoris apostematibus, adeò ut aliquoties præsentando cum levamine per alvum materiam purulentam evacuet.

In affectibus pectoris ȝra balsamica, balsamum ȝris, ȝur ḡnii fixum, balsamum ḡnii, Cinnabaris nativa, &c. eximiè prosunt.

In tussi ab acredine humorum falsorum & seroforum orta, ut illa corrigatur, illorumque ἐπίβρυσις in pulmones cohabeatur, Cinnabaris nativa benè cum aliis pectoralibus lenientibus atque incrassantibus permiscetur.

In asthmate pariter præcordiali, & in omni asthmate à fluxili materia serosa, quæ apta nata est, pulmonum bronchia obstruere, convenit etiam Cinnabaris nativa spermati ceti, lacti ȝris pulveri radic. aronis & ireos Florentin. ḡnio diaphoretico, ocu-

lis ȝ & aliis resolyentibus ac præcipi-
tantibus mixta.